

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

VIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

VIII.

DIPLOMA HENRICI II. IMP. QUO ECCLESIAE BASIL.  
BANNUM FERARUM IN BRISGOVIÆ TRACTU  
CONCEDIT.

A N N O M V I I I .

*Ex authentico Tabularii Episc. Basil.*

**I**n nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex. Si Ecclesias Dei alicujus doni incremento meliorare studuerimus, nobis id profuturum esse minime dubitamus. Quapropter omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, noverit universitas, qualiter nos interventu atque petitione Adalberonis Basil. Episcopi, sibi suæque Ecclesiæ in honore S. Mariæ constructæ ac ædificatæ, bannum nostrum bestiarum super illas sylvas his terminis ac finibus succinctas, a villa *Togingun*. (a) usque ad villam *Ofhusen* & ad *Adelenhusun* (b) & inde *Worin*; (c) inde vero usque ad *Harderen*, & inde ad *Zaringen*, & inde ad *Werstetten*, (d) & de illo loco ad *Thier-*

(a) Hod. Thiengen.

(b) Olim villa, nunc in urbe Friburg. Parthenium Ord. S. Dominici.

(c) Wieri viculus ad Friburgum.

(d) Hod. Vörsfetten.

---

*mondigen*, (e) inde vero ad *Ruthin* (f) ac postea ad *Bezscingen*, & inde per ascensum *Treifaniae* fluminis usque ad locum, ubi *Bamelaha* fluvius intrat in *Treifania*, & inde per ascensum *Bamelahæ* usque ad præscriptam villam *Togingnum*, secundum collaudationem provincialium inibi prædia habentium per hanc nostram regalem paginam concedimus atque largimur, ac de jure nostro in ejus jus & dominium transferimus, ea videlicet ratione, ut prædictus Adalberonus Episcopus sui que successores de prænominato banno & ejus utilitatibus dehinc liberam habeant potestatem quicquid eis placuerit faciendi, omnium hominum contradictione remota. Et ut hæc nostræ donationis autoritas stabilis & inconcussa omni permaneat tempore, hoc præceptum inde conscriptum manu propria roborantes sigillo nostro insigniri jussimus. Actum *Treveris* Anno Dominicæ incarnationis Mo VIIlo.

---

(e) Vicus destructus prope *Vörfetten*, ex quo adhuc curia superest.

(f) *Reuthy*.

---